

hoc nomine Deus, quia est in utroque nomine ratio repugnantiae ex parte subjecti pro quo supponit.

IV. Notandum etiam est circa hunc articulum, quod sapientissimus magister Vincentius in sua relectione, pagina 894 concedit, et defendit hanc propositionem esse veram: Christus fit. Sed certe oppositum est verissimum, et aperte colligitur ex doctrina S. Thomæ, tam in hoc articulo, quam articulo VII præcedenti. Et probari potest primo, quia cum resolvi debeat ad modum termini connotativi, eadem proprietate qua diceretur: Christus fit, dici posset: Hoc fit, et: Hoc est Christus; ergo Christus fit. Prima autem resolvens clare patet quod sit falsa; denotat enim quod Christus significatus illo pronome hoc taliter modo fit, quod antea non fuisset, quod falsum est.

V. Secundo, probatur idem, quia si in rigore, et proprietate sermonis concedenda est hæc propositio: Christus fit; ergo cum eadem proprietate concedi deberet, quod Christus acquisivit esse, vel per primum sui esse, vel ultimum non esse, et consequenter vel quod Christus nunc est, et immediate ante non erat, vel quod Christus nunc non est, et immediate post hoc erit, atque adeo absolute concedi deberet, quod Christus incipit esse; cum ergo hanc neget S. Thomas in hoc articulo salva ejus doctrina, nequit altera absolute concedi, videlicet Christus fit.

VI. Confirmatur, quia si hæc propositio Christus fit, fuit aliquando vera absolute, et in rigore sermonis; ergo propositio de præterito ei correspondens erit modo vera absolute, et cum eadem proprietate sermonis, et consequenter concedendum erit, quod Christus fuit factus, quod tam ipse magister Vincentius, quam reliqui Thomistæ negant.

VII. Argumentum autem, quod in favorem suæ sententiæ adducit magister Vincentius, facile dissolvitur; sic enim arguebat: Hæc est vera absolute, et in proprietate sermonis Christus generatur; ergo eodem modo erit vera Christus fit. Probat consequentiam, quia generatio est quædam species factionis.

VIII. Sed respondetur negando consequentiam, quia eadem ratione concedi deberet in proprietate, et rigore sermonis ista propositio: Fuit factus, ex eo quod ista: Christus fuit genitus, cum eadem proprietate vera est: dici ergo debet, quod si ex parte termini factionis non licet arguere ab inferiori ad suum superius, sed est mala consequentia: Deus factus est homo; ergo: Factus est substantia et ens, ratione a nobis assignata supra articulo sexto, ita simili ratione ex parte ejusdem factionis non licet arguere: Christus generatur; ergo: Christus fit, quia generari est fieri secundum aliquam participationem, seu rationem, quod in Christo non exercetur per adventum novæ substantiæ, vel existentiae. At fieri absolute est fieri simpliciter ex illo quod antea non erat, et sic hæc propositio: Christus generatur, absolute conceditur, sicut hæc: Deus factus est homo: altera vero scilicet: Christus sit, absolute negatur, sicut hæc: Christus factus est simpliciter; sicut etiam esse gentium convenit Filio in natura divina, non autem fieri.

ARTICULUS X.

Utrum hæc sit vera: Christus in quantum homo est creatura?

I. Conclusio: Si terminus homo sub reduplicatione positus sumatur ratione suppositi, propositio est

falsa: si vero ratione naturæ, propositio est vera; et in hoc sensu magis proprie sumitur. Si vero ponatur aliqua particula, quæ determinet suppositum, ut dicendo in quantum hic homo, est falsa. Hæc conclusio habet tres partes, in quibus tota resolutio hujus articuli in corpore continetur. Prima pars, quod si ly homo sumatur ratione suppositi, propositio est falsa; apud catholicos est indubitata, quia non posset concedi nisi cum aliqua hæresi, vel dicendo, quod est duplex suppositum in Christo, aliud creatum, aliud increatum, et ratione unius verificari, ut Nestoriani; vel dicendo, quod solum est suppositum humanum, quod dicitur Deus solum per gratiam, quæ est hæresis Photini; vel tandem, quod Filius est minor Patre, et per consequens creatura, ut Ariani asserebant. In sensu vero catholico, quod solum est in Christo unum suppositum divinum indubitata est hæc pars.

II. Tertia pars, scilicet, quod si dicatur Christus in quantum hic homo est creatura, est falsa; probatur a D. Thoma in calce corporis, quia illud pronomen hic, vel iste determinat suppositum, quod ibi est; cum autem illud suppositum sit increatum, propositio est falsa. Suarez autem in fine commentarii hujus articuli, inquit, quod in rigore, et proprietate sermonis etiam potest admittere sensum verum prædicta propositio, quia hic homo formaliter non designat suppositum sed subsistentem in hac humanitate ut sic, et licet designet illud, non tamen absolute secundum se, sed ut cum hac humanitate componit hunc hominem, quisua hac ratione dici potest creatura, ut explicatum est. Refert se ad doctrinam quam articulo octavo impugnavimus in confirmatione nostræ conclusionis,

scilicet, quod totum compositum potest dici creatura.

III. Sed hæc doctrina Suarez est falsa, quantum ad utramque partem. Prima pars, quod hic homo non designet suppositum, sed subsistentem ut sic in hac humanitate, constat quod est falsa, quia subsistens ut sic est quid commune; at vero pronomen hic est demonstrativum alicujus singularis; ergo non potest designare rationem subsistentis ut sic, quia illa non est singularis.

IV. Confirmatur: Ratio subsistentis ut sic in hac humanitate non debet esse prædicatum commune subsistentis solum, quia ratio communis non datur sine aliquo individuo a parte rei; ergo illud determinatum subsistens, et subsistens individuale de facto est, quod subsistit in hac humanitate; illud autem demonstrabile est secundum illam individualement rationem: sed non est aliud pronomen magis singularizans quam ly hic; ergo quando ponitur ly hic, designatur ratio subsistentis in singulari, et non ut sic.

V. Denique, illa ratio subsistentis ut sic est communis ad subsistentem divinum, et humanum; ergo illa ut sic considerata abstrahit a subsistente creato, vel increato; ergo non potest dici, quod determinate creatura est. Si autem dicatur propter singularem humanitatem, jam non est loqui in sensu D. Thomæ, qui in hac propositione determinavit suppositum, et propter hoc negat illam, et in hoc sensu male impugnatur a Suarez.

VI. Secunda vero pars, quod quamvis designet suppositum, quia tamen est ut componit hunc hominem cum hac humanitate, potest dici creatura, impugnatur ratione a nobis facta articulo octavo, quia ly creatura ad minus dicit ens cre-

abile ex nihilo, taliter quod non sit aliquid quod habeat esse a se, quod tamen in isto composito non verificatur, quia unum extremum scilicet suppositum divinum est ens a se.

VII. Hæc autem secunda pars conclusionis D. Thomæ non admittitur ab omnibus, unde propter ejus explicationem sit

DUBIUM,

UTRUM HÆC PROPOSITIO: CHRISTUS IN QUANTUM HOMO EST CREATURA, SIT VERA IN SENSU PROPRIO?

VIII. Prima sententia est, quod in sensu proprio est falsa, licet in sensu improprio sit vera. Ita Scotus in III, dist. XI, quæst. II. Explicat autem esse sensum proprium si ly in quantum sumatur reduplicative, et sensum improprium si sumatur specificative.

IX. Secunda sententia est communis maxime inter discipulos D. Thomæ, quod in sensu proprio est vera, et sensus proprius explicatur, non solum si sumatur specificative, sed etiam si sumatur reduplicative illud ly in quantum, et sic non est controversia cum Scoto in hac propositione, quod si sumatur specificative ly in quantum, propositio est vera, quia in hoc est convenientia utriusque sententiæ: est tamen disconvenientia in duobus. Unum est, quod assertio specificativa non sit propria, quod affirmat ipse, et alii negant: aliud est, quod reduplicative ipse inquit quod est falsa, quamvis conveniat in eo quod sensus reduplicativus est proprius. Vazquez vero convenit cum Scoto quatenus dicit, quod in sensu reduplicativo est falsa hic disp. LXVI, cap. II, sed convenit cum secunda sententia in hoc, quod in sensu spe-

cificativo non solum est vera, sed etiam propria, et in hoc differt a Scoto. Fundamentum utriusque infra commodius adducetur.

X. Prima conclusio: Dieta propositio in sensu specificativo est propria, et vera. Quod sit vera nullus negat, et ratio est clara, quia denotatur solum, quod esse creaturam convenit solum ratione naturæ humanæ, aut quod ipsa natura humana est creatura, quod est certum. Solum restat probare contra Scotum, quod est propria. Et probatur sic ex D. Thoma in articulo, quia sensus hujus propositionis: Christus secundum quod homo, est ac si dicatur: Christus secundum quod est homo, et sic sit prædicatum homo, et tunc tenetur pro natura magis proprie: ergo quando sumitur pro natura, sensus proprius est; sed in sensu specificativo determinatur natura tamquam ratione cujus convenit prædicatum secundum se, vel secundum suum esse, hoc est, quod ipsa est talis, quia in hoc sensu Scotus concedit, quod est vera; ergo falso negat, quod est propria. Patet consequentia, quia sensus proprius est, quando terminus accipitur pro significato proprio, et formali; cum ergo ly homo formaliter, et proprie significet naturam humanam, et ratione illius conveniat prædicatum, redditur vera propositio in sensu proposito.

XI. Secunda conclusio: In sensu reduplicativo est vera. Hæc est contra Scotum et Vazquez; est tamen Cajetani hic, §. Ad hoc dicitur, ubi postquam in principio dixerat specificative esse veram, ibi defendit quod etiam reduplicative est vera. Sed notandum pro explicatione, quod Medina hic inquit, quod reduplicative non est vera, et aliqui ita loquuntur, sed non explicant sensum reduplicativum eo modo quo explicant Scotus, et Vazquez, sed

reduplicative intelligunt causaliter. Ponit exemplum Medina in ista: Homo in quantum rationalis est risibilis, sed nos non loquimur in hac intelligentia, sed sicut communiter alii loquuntur, et ipse Vazquez, quod reduplicative idem sit, quod reduplicet supra terminum positum ex parte subjecti, hoc enim est proprie reduplicare, quando est quasi ratio conveniendi prædicatum subjecto, ut bene Cajetanus, et est communis sensus dialecticorum. Sed S. Thomas citatus loquitur ad tollendas has diversas explicationes dicendo: « Si reduplicet supra naturam, et si reduplicet supra suppositum, » et affirmat, quod si reduplicet supra naturam est vera; si supra suppositum est falsa. Solum vero difficultas hujus conclusionis est, si taliter fiat reduplicatio supra naturam, quod non fiat supra suppositum, ut sic reddatur propositio vera simpliciter in sensu reduplicativo; hoc negant Scotus, et Vazquez, et hoc affirmat conclusio.

XII. Probatur, quia quando aliquod subjectum habet plures partes, potest reduplicatio determinare, vel cadere super unam partem et non super aliam; sicut si dicamus: Homo secundum animam est spiritualis, et est immortalis, et est creatus ex nihilo, totum hoc est verum, et reduplicatur solum una pars. Similiter istæ sunt veræ: Homo in quantum animal est sensibilis, et Petrus in quantum homo est rationalis; et tamen solum est ratione unius; ergo potest cadere reduplicatio super unam partem subjecti.

XIII. Confirmatur: Hæc propositio: Christus in quantum Deus est creator, est vera, et ista: Christus in quantum Verbum est genitus per intellectum æterni Patris, et tamen sunt reduplicativæ, et conveniunt solum ratione unius extremi

uniti, scilicet in ratione deitatis, vel suppositi; ergo etiam potest fieri reduplicatio ratione alterius componentis, scilicet ratione humanitatis, ita ut id quod convenit per se humanitati prædicetur reduplicando illam de Christo. Patet consequentia, tum a paritate; tum, quia hæc est vera: Christus secundum quod homo est factus, et genitus, et natus ex Virgine; ergo: Secundum quod homo est quid creatum.

XIV. Secundo probatur: Hæc est vera: Humanitas est creatura, etiam quatenus suppositatur a Verbo, quia hæc est vera: Verbum est suppositum naturæ creatæ; ergo possumus per aliquam particulam hoc explicare; sed talis particula reduplicare, et determinare debet naturam; ergo hoc potest fieri, quia hæc veritas enuntiabilis est; sed non melius enuntiabitur, quam per terminum significantem naturam; ergo reduplicatio potest fieri supra solam naturam.

XV. Confirmatur: Hæc est falsa: Christus in quantum homo est creator, reduplicative sumpta; ergo hæc est vera: In quantum homo est creatura, reduplicative, quia nihil est quod in eo sensu in quo non est creator, non sit creatura, si sit ens reale positivum, et physicum, quod est divisum in ens creatum, et increatum. Patet consequentia per regulam dialecticam: A diviso cum positione unius membri ad positionem alterius, etc.

SOLVUNTUR OBJECTA.

XVI. Ex his patet solutio ad fundamentum Scoti, et Vazquez quod idem est, scilicet, quod reduplicatio non debet esse per particulam diminuentem subjectum, et quia ly in quantum homo, diminuit Christum, quia determinat unam partem, sci-

licet humanitatem, et non totum Christum, ideo non est reduplicatio. Et antecedens probatur, quia de inesse debet esse vera in propositione reduplicativa; et cum de inesse contineat totum subjectum etiam in reduplicativa, reduplicatio debet cadere supra totum subjectum: et in præsentî, quia ista: Christus est creatura, est falsa, et debet esse præjacens, et prima exponens illius reduplicativæ, sequitur quod reduplicativa sit falsa.

XVII. Vazquez vero non aliter probat nisi ex acceptione dialecticorum, quod reduplicatio idem est, quod reapplicatio supra subjectum, et etiam, quia *ly* in quantum, reduplicative sumptum explicat perseitatem; ita quod denotatur, quod taliter prædicatum convenit significato, quod reduplicatur, ut illi conveniat secundum quod est tale, et quia creatura non convenit humanitati soli tamquam prædicatum primo, et per se formaliter, et immediate proprium illius, non est reduplicatio. Ex quo patet idem esse fundamentum ad negandam reduplicationem in Scoto, et Vazquez, scilicet hoc principium, quod reduplicatio non debet esse supra partem subjecti, sed debet esse supra totum.

XVIII. Respondetur nullum esse principium ad negandam reduplicationem supra aliquid subjecti, et S. Thomas in corpore hujus articuli expresse dicit in dicta propositione, quod: « Nomen potest sumi in reduplicatione, vel ratione suppositi, vel ratione naturæ, » ubi ponit reduplicationem, et supra naturam, et supra suppositum divisive. Et ad impugnationem, quod reduplicatio non debet minuere, subtiliter distinguit Cajetanus, quod minuere stat dupliciter, uno modo taliter, quod tollat terminum, sicut homo pictus, mortuus, vel in potentia, et de hæc verum est, quod non potest facere

reduplicationem: si vero non sit propria diminutio, sed large, hoc est, determinatio, seu partitio, potest esse reduplicatio, ut in exemplis allatis in probatione conclusionis.

XIX. Et ad illud de præjacente respondetur, quod quando reduplicatio est totalis præjacens, debet esse vera, in hoc enim sensu procedit regula dialectica; quando vero est partialis in præjacente debet poni terminus significans solum per modum partis, ratione cujus fit reduplicatio, et in illo sensu etiam præjacens reduplicative partialis erit vera, et in præsentî præjacens non est quam ponit, scilicet: Christus est creatura, sed ista: Christus secundum humanitatem est creatura.

XX. Ad Vazquez respondetur, quod nulla est regula dialecticorum, quod reduplicatio non possit esse partialis, ut patet ex loco allato proxime ex D. Thoma. Neque est necessarium, quod prædicatum conveniat primo, et per se, et immediate, sed potest esse mediatum, sicut in ista: Petrus in quantum homo est risibilis, admirativus, etc. quæ non sunt prædicata immediata, nec per se formaliter essentialiter, sed tamquam passiones; et etiam substantia, vivens, animal sunt prædicata essentialia, et per se hominis, et tamen non sunt immediata, nec ita propria illius, quod non possint aliis convenire; et ita hoc prædicatum creatura, est prædicatum essentialia humanitatis, imo transcendens, et imbitum essentialiter in ipsa, quod non habent alia prædicata dicta, et hoc sufficit ad reduplicationem.

XXI. Imo contra Vazquez est clara contradictio in ipso, tenet enim loco allato articulo præcedenti, quod hæc propositio: Christus incipit esse, est vera, quia ut inquit in illo capite quarto referendo se ad caput secundum ejusdem disputationis,

ly Christus potest accipi, et pro persona, et pro natura, sicut iste terminus homo, vel Jesus; est enim doctrina ejus communis pluribus locis, quod nomina non solum in abstracto, sed etiam in concreto supponunt pro natura, et hoc quidem dicit de hoc nomine Christus, quod supponit pro natura, et quia natura incipit esse, inquit quod Christus incipit esse. Ergo etiam potest dici, quod Christus est creatura in eodem sensu sumendo Christum, quia quod incipit esse, creatura est, et quia si supponit pro natura, natura creatura est; ergo etiam illa erit vera: Christus in quantum homo est creatura; tum, quia concedere istam: Christus est creatura, nullam apparentiam habet, si quidem omnes exponentes sunt veræ, specialiter prima, quæ est præjacens propter quam Scotus negabat reduplicativam; tum, quia iste terminus homo significat naturam humanam, et supponit pro illa in Christo, ut Vazquez dicit, et etiam iste terminus Christus supponit pro eadem natura humana solum quando verificatur quod incipit esse, ut dicit Vazquez; sed si dicamus Christus in quantum Christus est creatura, vel incipit esse, est vera secundum ipsum; ergo etiam ista: Christus in quantum homo est creatura, vel incipit esse. Patet consequentia, quia reduplicatio in utraque, quantum ad rem est eadem, quia eadem est natura importata, et suppositum utriusque termini; ergo quantum ad rem debet esse eadem veritas, quia ab eo quod est in re propositiones sunt veræ; et si eandem veritatem significant, et pro eodem supponunt, sunt æqualiter veræ.

XXII. Nec potest fugere Vazquez vim hujus contradictionis recurrendo ad illam doctrinam, quod reduplicatio debet cadere supra eundem terminum, quia præterquam quod hoc est falsum, ut visum est in

exemplis allatis pro conclusione, ut Petrus in quantum homo est rationalis, est reduplicatio, et non est supra terminum Petrus; in præsentî Christus, et homo, ut ipse inquit supponunt pro eadem natura, et ideo est idem ac si esset terminus, quia ideo ipse petit repetitionem ejusdem termini non propter vocem solum, quia hoc esset nominale, sed propter rem; si ergo repetatur eadem res in alia voce, erit eadem ratio ac si esset idem terminus, vel idem nomen.

ARTICULUS XI.

Utrum hæc sit vera: Christus in quantum homo est Deus?

I. Prima conclusio: Si *ly* in quantum reduplicet supra suppositum est vera: si super naturam est falsa; et absolute magis est falsa quam vera.

II. Secunda conclusio: Hæc propositio: Christus in quantum hic homo est Deus, est vera. In solutione ad tertium.

III. Utraque conclusio probatur a D. Thoma, quia si *ly* in quantum homo determinet naturam humanam, cum natura non sit Deus, falsum est dicere, quod secundum humanitatem est Deus, quod etiam in argumento Sed contra probavit, quia alias omni habenti naturam humanam conveniret esse Deum. Si autem sumatur pro supposito est vera, quia suppositum est divinum, et absolute secundum proprietatem termini reduplicati accipitur pro natura, sicut articulo præcedenti dictum fuit, et ita sicut ibi conceditur, quod absolute est creatura cum reduplicatione, ita hic negatur, quod sit creator cum eadem reduplicatione simpliciter, seu Deus. Secundam vero conclusionem probat